

ne fuerit olim Romanis Libellatoribus dicere, sanctitatem Deiparæ in primo illo creationis initio, quod instans dicitur, & quo anima ejusdem per beneficium Divinæ Gratiæ simul est præservata ab originis labe, & in corpus infusa, ab Ecclesia Dei numquam antea celebratam fuisse: ea de re nec Ecclesiasticum Officium institutum, nec Summorum Pontificum Bullas, neque Concilii Tridentini decretum intelligendum: Christianorum sodalitates, itemque Ordinem Religiosum sub auspiciis Deiparæ sine labe conceptæ non ideo probatum ab Apostolica Sede, ut ejus animus fuerit, pietatem populi Christiani erga illud Mysterium tali judicio comprobare: sublatum lege Gregorii XV., quod nonnulli usurpabant in Conceptionis Officio, *sanctificationis* vocabulum, ut uniusmodi ritum, ac Deiparæ cultum Ecclesia teneret; verum tamen Conceptionis nomini, quod eadem lege Christiani omnes pronuntiare jubentur, vim quamdam ancipitem significandi impositam esse, primoque momento creationis Deiparæ, & aliis pariter communem, quæcumque fuere potuerunt ad usque momentum sanctitatis acceptæ. Hac ante decretum Alexandri Pontificis prædicare nonnullos, literisque mandare, odiosum erat id quidem, sed ferendum tamen; cum non adeo diserte superiores Pontifices momentum primum Conceptionis expresserint, quod esset Ecclesiæ ritu celebrandum: simulque Deus orandus erat, ut, quando illi superiorum decreta Pontificum ad eum modum interpretando labefactarent, per Vicarium aliquem suum confidentiam ipsorum tantam aliquando compecceret. Id quod bonus, & favens egit per Alexandrum Pontificem; cujus auctoritate logodædalis istis omnis erepta est cavillandi libertas. *Sane vetus est, ait ille, quod isti negabant, Christi fidelium erga ejus Beatissimam Virginem Mariam pietas sententium, ejus animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia, & privilegio, intuitu meritorum Jesu Christi ejus filii, humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis præservatam immunem, atque in*
hoc